



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 4. De inquisitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

denuntient, cessat calumniæ præsumptio. Si tamen aliunde constaret, limites officii sui, & recti transgressos esse, odio vel invidia alicui falsum crimen affluxisset, non tantum in expensas, sed alia quoque arbitraria pœna puniendi essent. *Silv. v. Detractio. n. 5. Iul. Clarus. l. cit. Speculat. Rubr. de denunc. Dambaud c. 6 n. 8. Valens. l. 5 T. 1. Batarid. ad q. 62. Clarin 13.*

Quod si iudex omiserit victum in expensas damnare, per totum diem quo sententia lata est, poterit victor petere & instare, ut iudex suppleat condemnationem expensarum, & supplere tenetur, quia quoad hunc effectum toto illo die officium ipsius durare censetur. *l. Paulus 1 Tit. de re iud. Ripa in l. dies §. hoc autem. Tit. de damno infecto.*

XIII. Præter hæc alii modi suppetunt iniuriam sibi illatam prosequendi, puta manifestando iudici per supplicationem, aut querelam. Supplicatio lapis adiutorii est miserabilium personarum & humili obsecratione fit, implorando benignitatem iudicis. Querela simplici relatione contenta est, nihil aliud intendens, quam ut iudex, vel superior eo modo, qui sibi optimus videtur, subveniat. Et hunc modum procedendi hodie in Italiâ accusationi solenni per desuetudinem extinctæ successisse testatur *Clarus. q. 10.* Libellus enim non datur, sed simpliciter fit quædam scriptura, & offertur loco libelli. Debet autem continere nomen accusatoris, accusati, iudicis, & criminis commissi: item quo loco, anno & mense commissum fuerit, nec non diem quoque dati ipsius libelli. Reliquos defectus circa solennitates, & requisita iuris communis iudex sup-

plet. Quanquam si præter eiusmodi querelam se ipso oblatam nec denunciatio alia, nec infamia vel aliud, quæ via ad inquirendum aperiretur adesse, non deberet iudex procedere. Procedere nihilominus videmus consuetudinis clypeo se munientes, de qua an legitime præscripta sit tot vicis doctrina & integritate vitæ conspicuis improbantibus, & contradicentibus, merito dubitari potest. *Felin. in c. Querelam de iur. Maranta Par. 6 Tit. secundus actum. n. 102 & sequens.*

§. 4.

De Inquisitione.

I. Inquisitio triplex est. Prima omnino generalis, qua de nullo specialiter, sed in confuso, & generaliter inquitur, leges, an labes statuta, an delicta vigeant. Visitata cum primis est visitatoribus provinciarum, & canobiorum. Secunda omnino specialis de certa persona, & noxa. An Titius furtum, an Caius simoniam commiserit? Tertia mixta est, cum vel sola culpa, vel sola personam nota est. *Panorm. in c. qualiter, & quando. de accus. Silv. v. Inquisitio. Roder. To. 17. Tit. 8 c. 5 Diaz. in Pract. Crim. c. 1. Generalem inquisitionem Mosconius h. 2 par. 1. c. 5. vocat præparatoriam, specialem vero solennem. Folier. par. 2 v. Denunc. facta Clarus §. fin. q. 3. & 6. Zozola Par. 2 v. Inquisitio. Layman. l. 3. Tr. 6. c. 2. num. 31.*

II. Generalis inquisitio non tantum licita sed etiam necessaria, & præcepta est. *c. Romana 1 §. sane de censib. in 6. Pro-*

posita

posito verbo DEI quærat, (Archiepiscopus visitans) de vitâ conversatione ministrantium in Ecclesiis. Item *c. Perniciosa 1. de officio Iud. Ord.* Habeant episcopi singularum urbium in suis diocesis liberam potestatem adulteria, & scelera inquirere, ulcisci & judicare. Alias enim impune leges cum divinæ, tum humanæ violarentur, mali superarent, boni opprimerentur. Item docent, & urgent optimorum præsulum exempla, qui in visitandis ecclesiis suis diligentes & assidui fuerunt, juxta sacrorum Canonum, præsertim Conc. Trid. præceptionem *sess. 6. c. 4. & alibi.*

In hac inquisitione nemo tenetur alterius crimen occultum revolare, *c. Qualiter & quando 2. de accus.* ne famam illius cum iniuria minuatur. Excipe crimina reip. perniciose, cuiusmodi est proditio, conspiratio, insidia, & similia. Ita DD. communiter cum Theol. S. Tho. q. 69 art. 2. Caietan. *ibid. Soro de scripto memb. 2. q. 6 Navar. c. inter verba conclus. 6. Less. c. 29. Dub. 13. n. 109.*

III. Pro inquisitione generali nulla opus est præviâ infamatione, aut clamorosa insinuatione. *Abb. in c. Perniciosa. Damhard. c. 8. n. 14. Maranta pag. 132. Barb. cum aliis multis in cap. cit. Qual. & quando.* ubi simul plures limitationes accumbat, quarum *Prima*, tunc valere cum pars adversa non opponit se. *Secunda*, si mandato principis inquiretur asserentis crimem commissum esse *Tertia*, si inquiretur contra officialem, eiusque familiam, ac ministros in syndicato finito officio.

Addit denique hodie communi usu omnium terrarum receptum esse, ut

Magistratus ad crimina punienda procedant etiam occulta, quæ probari possunt, nulla præcedente infamia. Quod maximè necessarium videtur in illis delictis, à quibus reip. perturbatio vel interitus timeatur. Neque enim minus obligamur spiritualibus damnis, ac periculis avertendis incumbere, quam corporalibus. Atqui ut corporis incolumitatem tueamur, nullam omittimus vigilantiam, & curam malorum, quæ vel actu sunt, vel certè adesse nobis ignorantibus possunt. *Silv. v. Inquis. n. 3. Gomez. III. c. 1. Armilla n. 1. Zer. p. 2. eod. Less. c. 29. Dub. 13.*

IV. Contra certam personam inquire specialiter non potest, nisi aut præcedat infamatio, aut clamorosa insinuatio, quæ sit loco accusationis. *c. Qualiter & quando. 24. de accus.* Inquisitionem debet clamorosa insinuatio prævenire. *c. Inquisitionis 21. §. Tertia. eod. ad quem locum Barb. annotat.*

Primo, deficiente infamia non esse recipiendas depositiones, licet plures juramento asserant aliquem deliquisse eis videntibus; nec puniendum aliqua persona, nec inquirendam ad petitionem illorum, qui in occulto porrigunt libellum accusationis. *Secundo*, iudicis arbitrio relinqui, ut discernat, quænam infamatio sufficiens sit, & quis rumor frequens consideratis circumstantiis loci, temporis, & personarum, *Tertio* non requiri ad infamiam, ut testes oculari sint: sufficere etiam, quod à bonis viris fide dignis audierint, vel indicia, & coniecturas sufficientes habuerint.

Quarto, ut infamatus quis cenleatur, non sufficere, quod duo, vel tres testes deponant se vidisse crimem perpetrari, sed

necessarium esse, ut rumor ad maiorem congregationis partem devenerit, orta que infamia sit non à malevolis, sed viris probis, eamque sæpe superior audierit, & non semel tantum. Quinto quamvis iudex noverit crimen rei sciatque esse duos, vel tres testes conscios criminis, per quos probari valeat, non posse tamen procedere ex officio via inquisitionis, antequam acculetur. Sexto denique testem rogatum super infamia testificari debere, quod infamatio sit inter maiorem partem hominum, vel viciniam illius loci, in quo erat fama, & à maiori parte audierit. *Mascard. de probat. consil. 897.* addit insuper *Barb. in c. cit. Qualiter non valere statutum mandans inquisitionem de non infamato, neque si iudex plenum haberet arbitrium in procedendo, & puniendo delinquentes. Limitat tandem, si crimen occultum v. rgeret in perniciem spirituales, vel temporalem alicuius communitaris, ut si quis civitatem vellet tradere hostibus, vel hæreticis aliquis seducere alios clam niteretur. Tunc enim absque omni infamia procedere licet, *V. Sanch. l. 6. consil. c. 3. dub. 17.**

V. A prædicta regula non inquirendi nisi præcedente infamia excipitur. Primo crimen hæresis, & Apostasiæ à fide, *c. Excommunicamus § aducimus, de hæret. l. Apostatarum 4. C. de Apostolis.* Ratio est, quia hæc crimina maxime perniciofa sunt reip. & Ecclesiæ *Mol. disp. 24 Laym. l. 3. tit. 3. c. 3.* Secundo ob eandem causam crimen læsæ maiest. *Extrav. Frid. I. ad reprimend. n. s. v. Navarr. in Rubr. de iudicis n. 94.*

Tertio. Quando crimen in ipso iu-

dicio commissum est, puta si testis falsum deponat, si accusator calumniatur prævaricetur, aut tergiversetur. *Nav. l. cit. n. 88.*

Quarto. Quando auctor criminis in generali inquisitione deprehensus est. Ita communis opinio legistarum fert contra Sorum. *l. 2. §. si publico tit. de adult.*

Quinto. Quando reus occultum crimen coram paucis, iudice videlicet, & Notario confessus est. *c. 1. de accus. in 6.* Nam talis confessio facit notorium coram ipso iudice. Idem dicendum, si coincidenter tantum confessus esset.

Sexto. Quando suspicio communis supplet infamiæ vicem: tunc enim non censetur omnis accusatio deesse.

Septimo. Cum Dominus ocellus reperitur, nullo auctore cædis comperto. Inquiritur enim tunc in famulos *l. 1. tit. ad sc. Silianum.* Simili et contra nauas submersæ navis, propter præsumptionem. *Abb. Aretinus Nav. l. cit.*

Addit *Bonaç.* Quando proceditur ad conferendum beneficium, dispensandum, in voto, aut celebrandum matrimonium non requiri præviam infamiam, vel accusationem *v. l. ff. c. 29. dub. 15. Sanch. l. 6. consil. c. 3. d. 19. Card. Lugo disp. 3. sect. 6. Simanc. Institut. tit. 44. n. 9.*

VI. Consuetudo quoque facere potest, ut absque infamia iudex ad inquirendum procedat. Pote, quod Syndicus denunciatur, vel privatus quisquam iniuria læsus, aut scandalizatus, onus probandi tamen refugere, iudicem dico ad ulteriorem cognitionem procedere posse. Primo, quia modus procedendi supra expostus est, non divini, & naturalis

ralis, sed humani & positivi. Vnde si cō-
suetudo prævaleat, signum est temp. &
cives iuri suo renunciaffe. Secundo idem
praxis docet plurimorum iudicium, in
quibus prudentia, & conscientia. Et *Iul.
Clarus testatur q. 3. & 5.* etiam iure civili
permissum hodie in quocunque casu
procedere ad instantiam, seu querelam
partis læsæ, vel officialis publici. Imò in
regno Galliarum, & aliis quibusdam locis
nulli accusare licet, nisi de eo quod sua
tantum inter est. Subdit *Clarus* per con-
suetudinem hoc tempore receptam nec
ab inquisitione accusationem, nec ab
accusatione inquisitionem excludi, sed
utramque simul coniungi posse. *V. Card.
Lugo l. cit. n. 64.*

VII. Iudex secularis, & fiscus tan-
tum inquirere possunt de criminibus
intra 20. annos commissis computan-
do ab ipso die commissionis: supra
annos 20. autem minime. *l. querela c. ad
leg. Cornel. de falsis.* quam legem veteres
I.C. pro singulari habent, & *Dambaud c.
8* sibi memoria præsentis semper reti-
nendam censet pro liberatione amico-
rum, si illorum aliquem ad iudicium
trahit coningat pro delictis olim per-
petratis. Fieri autem præscriptionem
contra accusationem 20. annis com-
muniter dixerunt *in par. 2. tit. 13. §. 4.* cum
Doctoribus idem magno consensu ag-
noscentibus. *Panorm. c. accipimus 4. de
purg. Can. Mol. d. 6. l. 6. dub. 11. n. 6.
Silvest. v. Præscriptio §. 11. n. 1.*

Monet etiam citatus *Dambauderius c.
8 n. 7.* de levibus & dissimulatione dig-
nis noxis nullam inquisitionem faci-
endam, aut certe cognoscendum de
plano. *l. Ieria tit. de accus. c. inquisitionis*

*eod. Glo. in c. si proponentes 41. de rescr. Barb.
int. l. 1. decretal. n. 51.*

VIII. Causa de adulterio infama-
tusest, reus tamen occultè aliorum
quoque puta facti, sacrilegi, & simili-
um, licetne de his quoque inquirere?

Ex dictis n. 4. liquet licitum non
esse. Nam si de adulterio si occultum
foret, non permittitur inquisitio specia-
lis, consequitur de aliis quoque quam-
diu ignota sunt, inquiri non posse. Fa-
vet *c. inquisitionis de accus.* ubi dicitur in-
quisitionem de illis tantum faciendam,
de quibus clamor præcessit. Similiter
*c. cum oporteat eod. ad eorum tantum cri-
minum inquisitionem procedendum
mandat, super quibus rei fama læsa
sit.*

Excipe 1. nisi in crimine delato tan-
quam signo contrahatur infamatio al-
terius, ut si n. eodem conclavi deprehe-
datur adulter, & mariti occisi cadaver.

2. Quando unum peccatum alterius
effectus, vel circumstantia est, nec per-
fectè cognosci separatim potest. Exem-
pli causa, convictus de furto in Ecclesia
interrogari potest, an fides effugerit:
convictus de iniuria fami licitate cum
aliqua muliere, interrogari etiam potest
de concubitu: religiosus concubinarius
(interrogari potest de furtis, quia eius
generis prævaricationes, cum aliis de non
habent mercedem prostibuli, res mo-
nasterii furati solent, ut non desint ne-
cessaria ad alendam, & sustentandam
in fide concubinam.

*Soto l. 5. q. 6. art. 2. Navarr. c. inter verba co-
roll 51. Pet. Navar. l. 2. de rescr. c. 4. n. 179. &
seq. Diaz. c. 117.*

IX. Idem dicendum est de sociis, &
com

complicibus occultis, secundum communio-
rem opinionem apud *San. h. l. 6. consil. 6. 3. dub. 2.* Ita enim colligitur ex *c. cum monasteriorum de confessis. ubi legimus, secundum iuris utriusque statuta de se confessi super aliis interrogari non debent. Adde c. veniens de testibus & c. nemini 15. q. 3. Item C. de accusationibus l. fin. ubi dicitur veteris iuris auctoritas de se confessis ne interrogari quidem de aliorum conscientia sine. Nemo igitur de proprio crimine conscientiam semper conscientia scrutetur aliena Ratio manifesta est, quia nemini licet occulta aliorum crimina detegere & pro palare, unde boni nominis sui & fama iacturam faciant. Verum & *Glossa & Barb. in c. cum ad monast. de conf. in multis limitari notant.**

Primo enim excipitur crimen læsæ maiestatis, in quo perpetrando ut plurimum complices sunt. *c. a. de confess. ubi Abb. & Nemini 15. q. 3. l. quisquis ad leg. tul. maiestatis.*

Secundo Simonia, quam Canonæ æquant crimini læsæ maiestatis, & vocatur hæresis saltem largo quodam modo *c. Quoties 5. de Simonia.*

Tertio latrocinia, quæ utique à pluribus simul committuntur, adeoque etiam in tortuta de locis interrogantur. *l. provinciarum C. de feriis l. Divus tit. de custodia reor. Mascard. de probat. l. 3. concl. 1311 Clarus § finali q. 21.*

Quarto crimen factæ monete, in quo solent cooperari *l. 1. C. de fals. monet. l. si ovum nummos eod. Boer. decis. 19. Deciarus l. 7 c. 24.*

Quinto Si statutum aliquod vel consuetudo permittat. Quod non omnes agnoscunt, existimantes eiusmodi le-

gem, & consuetudo repugnare iure naturali. *Maranta p. 163. addit Farinac. q. 43. n. 78. crimen adulterii, cum enim non fiat, nisi in commodum & voluptatem delinquentes, & necessario habeat complicem, de hoc interrogari potest. Bald. in l. repeti §. 1. tit. de quest. Castro Consil. 348. Contrarium tamen Osius tenet in sum. de divortio col. 5. & alii apud Barin. n. 28. sed nihil vetat priori sententia insistere.*

Idem de Sodomia dicendum, tum quia immane crimen est, tum quia ob propriam voluptatem, & cum socio perpetratur. *Gomez to. 11. c. 12.*

Denique regulariter excipienda sunt crimina, quæ natura sua non solent, nisi cum sociis fieri, ut nemini iniuria timenda sit, si de complice interrogetur. *Sali. c. in l. fin. n. 7. tit. de accus. Decianus consil. 18 Brunus de iudic. & Barb. p. 1. q. 3.*

Illæ insuper, quæ reip. & communitati maxime damnosa & pestifera sunt, ad illius ruinam, & extremam perniciem excogitata, quæ non tantum rogatus quilibet, sed etiam non rogatus in utroque foro manifestare tenetur: ad quod à confessariis quoque obligandi & cogendi sunt. *penitentia dist. 3. c. peccati venia de reg. in. in 6. c. legatur 24. q. 2. l. congruit. tit. de off. pres. Peguer. decis. n. 24. Navar. in Rubr. de iudic. n. 91. & c. Inter verba 11. q. 3. Farinac. l. 1. tit. 5. q. 43. Sayrus l. 12. c. 11 Maranta par. 6. tit. de inquisitione n. 128. & seq.*

X. Quando crimen publicum, ac notorium est, auctor vero occultis & minime infamatus, iudici non licere specialem inquisitionem instituire censeat. *Paludan. in 4. dist. 19. q. 4. Sorus. l. 5. q. 6. tit.*

¶ *Art. 2. concl. 5. Caietan. in 2. 2da. q. 69. art. 2. quia in c. cum oporteat. de accus. ad inquirendum requiritur infamia non solum delicti, sed etiam personæ. Item in c. inquisitionis eod. dicitur neminem puniendum via inquisitionis, nisi fuerit infamatus. Quod iterum inculcat in c. Quando & qualiter eod. Laym. l. 3. tract. 6. c. 2. n. 3. occulta enim non pertinet ad iudicium humanum, sed divinum. Adde rationem. Si iudex potestatem habet inquirendi specialiter, illi, quos interrogat, in conscientia obligati sunt ad respondendum, adeo, ut occultus peccator scriptum procedere debeat, quod nemo dixerit. Nihilominus dicendum cenſeo, quamvis inquisitio nem personalem iudici non licet instituire in casu superius posito minime prohiberi tamen ne inquireat de circumstantiis & adiunctis, sine quibus committi crimen non potest, & per eiusmodi cognitionem iudicia colligere ad ulteriorem processum.*

Licebit igitur factis ex. g. homicidio in angiportu quodam, interrogare vicinos, an viderint illac ire homines armatos, qua hora occisus sit, quibus armis, an cum multo clamore, an intellexit voces quædam. Ex his si quid certæ personæ conveniat, & applicari possit, alia conquirenda iudicia ex quibus paulatim nascatur infamatio. Hunc modum iuri, & praxi consentaneum esse probatur. 1. quia iudex ratione officii sui allaborare debet, ut eiusmodi clandestinæ cædes non maneant inultæ, propter ingentia damna & pericula, quæ inde proveniunt. c. Cum sit d. fin. de appellat.

2. In veteri lege mandatum fuit, ut si in agro vel via inveniretur cadaver hominis occisi, iudices observarent, cui oppido, vel civitati locus, ubi cadaver inventum est, vicinior esset, & maiores natu illius populi, ac civitatis inquirerent, & punirent reum, si apud eos inveniretur. *Deuteron. c. 21.* Vnde colligimus rationi, & æquitati consonam esse talem inquisitionem.

3. Accedit consuetudo, communis ubique saltem multorum iudicum, qui prædictum modum observant: vi cuius consuetudinis etiam citatis supra Canonibus derogatum esse *Sayrus* concedit. *l. 12. c. 10. n. 25.* quod non video necessarium esse, sed potius hoc, & non alio in sensu dicemus ea capitula intelligenda esse: vel certè loqui de inquisitione quæ circa certam ac determinatam personam nullis iudiciis præcedentibus instituitur. *Innoc. inc. Bona memoria in v. testis n. 4. Navarr. inc. inter verba l. 1. q. 3. Bann. q. 70. art. 1. dub. 1. Valent. III. disp. 5. q. 14. pun. 1. Less. c. 29. d. 40. Roderic. Tom. IV. tit. 9. c. 8. Laym. l. cit.*

XI. In hoc modo inquirendi occultum auctorem, quamvis præles, seu iudex, ut muneris suo satisfaciat, sub iuramento interroget, quis fecerit, nemo tenetur prodere auctorem, qui nulla infamia laborat, nec in futurum aliquid mali timeret. Rationem num. 10. indicavi. Non licet enim bono nomine spoliare peccatorem, quamdiu latet delictum, nec eousque se extendit iudicis potestas, sed in eos tantum inquirere potest, qui infamia laborant iuxta Canones n. iv. allegatos. Multo minus

minus occultus peccator seipsum prodere debet.

Obiiciunt aliqui *S. Gregorii* exemplum, qui *epist. 30. l. 5* sacra communione interdixit cuidam, qui famulum libellum sparserat, nisi se prodere: & eundem, si corpus & sanguinem domini, quamvis prohibitus, perciperit, ut petiferum a sanctæ Ecclesiæ corpore separat ac dividit, *c. quidam maligni 5. q. 1.* sed meminisse oportet, fieri posse, ut qui absolute loquendo se ipsum manifestate non tenetur, ad id obligetur ex facto aliquo, vel culpa præcedente. Prædictus infamator famam alterius lætam eidem restituere tenebatur, adeoque seipsum detegeret: in quo si se difficilem exhibebat, excommunicationis metu compelli potuit. Hoc enim medium ad reparationem illati damni necessarium censetur.

Sed fac, absque ulla restrictione magistratui iurasse aliquem, quod revelare velit, quicquid de auctore parati sceleris cognovit, annon tenebitur?

R. Iuramentum hoc non urget ad revelandum, nisi quod absque illo salvo iure naturali potest: nimirum, non prodere occultum auctorem, quamdiu non laborat infamia, & prodere eundem, quando ius ad famam suam amisit. Hoc siquidem omni iuramento proprium est, ut obligatio illius non referatur ad rem naturalem vel illicitam, sed cum tantum, quæ absque peccato fieri potest, quemadmodum in materia de iuramento passim Theologi docent, *v. Less. c. 17. dub. 7. & c. 42. d. 4.*

Dixi si in futurum nihil mali timeretur. Nam si hoc, aut reipubl. imminet, aut

privato homini valde damnosum existimeretur, quilibet monitione & manifestatione sua prævenire pro viribus debet: modo eiusmodi rerum status sit, ut remedium a præside, & magistratu adhiberi queat. *Sotus l. 5. de iust. q. 7. art. 1. Navarr. c. 18. n. 31. Sanchez l. 6. consil. c. 3. dub. 20. Less. c. 11. dub. 9. n. 57. Filliut. tract. 40. c. 7. n. 213. Azor. 111. l. 13. c. 20. Sayrus l. 1. c. 10. n. 27. Lugo disp. 38. sect. 2. Rigmald. l. 24. sect. 6. n. 55. Diana par. 5. tract. 13. Resol. 41. & 42.*

XII. Ex dictis patet, quibus modis ad inquirendum iudici via aperitur, præsertim sæculari?

Nam primo quando crimen notatum est, auctor occultus, ut n. 10. diximus inquirere generatim potest, an aliqui notitiam habeant, an indicia repariantur, & similia.

Secundo si notorius sit auctor inquisitionis specialis illi permittitur. Pari modo, si de illo fama sit, non à malevolis vel temerariis hominibus, sed vitis honestate motum, & vitæ integritate commendatis orta, idque duo idonei testes confirmant. Quoposito, si præsens est infamatus, eum iudex rogabit de veritate criminis. Si confessus fuerit, pariet, sin minus ad ulteriorem cognitionem procedet, absentem verò citabit indicando, se de formanda adversus illum inquisitione cogitare.

Tertio Sufficiunt quoque ad inquirendum iudicia judicialiter probata. Hæc enim loco ficti accusatoris sunt, & infamiæ æquiparantur, teste *Navarr. in Rubr. de indic. n. 96.* ubi idem affirmat de suspitione non iudicis, sed populi & universitatis.

Quarto

Quarto. Cum semiplena probatio est, puta si notorio crimini accedat unus testis omni exceptione maior, contra quam Sotus & Navarrus velit.

Quinto si læsus quærelam offerat, & testes vel indicia, quibus cognitio fulciatur, & informetur iudex, *Iul. Clarus* q. 10.

Sexto quando Syndicus, stationarius, vel quisvis officialis denunciat indicialiter, indicia & testes indicat. Nihil autem permittitur illis denunciare, nisi bona fide putent per indicia, vel testes probati posse.

Septimo, quando pars crimen obiicit testi, ut ad verus illum excipiat, & illud probat, quamvis non omnino plene, quia probatio talis suspectum illum facit, & loco infamiae est. *Iulius Clarus* q. 19.

Octavo, Cum quis intentat actionem civilem, ut sibi damnum faciat ex delicto, v.g. homicidio. Poterit enim contra delictum illud iudex procedere utpote iam notorium. *Iacob de belviso in practican.* 28. *Rubr. de caus. crim.*

Nono si delictum sit commissum in ipso iudicio, quia talis confessio inducit notorium iuris. *c. 1. de accusat. an. 6.*

Decimo denique quando pars, vel testis coram iudice incidenter fatetur delictum aliquod. Licet enim ex ea confessione damnari nequeat, aperit tamen viam iudici ad inquirendum de tali crimine, absque alia accusatione, vel quærela. *Iul. Clarus lo. cit. l. ff. 6.*

29. *dub. 16. Fill. tra. 40.*

66.

§. 5.

Satis fit dubius de Inquisitione.

Dub. 1. Quænam indicia sufficiant ad inquisitionem specialem?

Clarus in §. fin. q. 20. n. 2. de iudiciis certam regulam non posse dari pronunciat, sed totum relinquit arbitrio boni viri, scilicet iudicis, qui secundum qualitatem personæ, delicti, & suspicionum discernat, an sit iudicium sufficiens, an non. Nilominus tres gradus subiungit, ita ut indicatorum alia sint levia, alia gravia, alia gravissima. Quæ verò talia sint, non audeat definire. *Paris de puteo à Silv. allegatus V. indicia n. 1.* Indicia levia vocat, quibus contingit frequenter abesse veritatem. Gravia quibus contingit frequenter adesse veritatem. Gravissima, quibus non dubitatur ad veritatem. *Barol. in lib. ea quidem C. de accusat.* duo membra faciens iudicium plenum vocat, in quo tanquam vero animus quiescit, nec plus investigare curat: semiplenum vero præsumptionem, quæ fortiter moveat animum ad aliquid credendum, vel dicendum. His positis, quia certius nihil invenio, ad dubium propositum.

R. Ad inquisitionem specialem illa tantum indicia sufficere, quæ & publica & minimè levia sint, consideratis omnibus circumstantiis, in illis criminibus, quæ tendunt in damnum animarum, aut reip. ubi haud dubiè non quilibet, sed probatissimus iudex necessarius est, qui ut Mosconius loqui-